

ralem è mundi finibus propulsare, atque etiam Dei notitiam ex hominum mente evellere sibi animo proposuisse; nec diutius in hanc terrificam classem obtutum potes defigere tuum, quin perspicue deprehendas universa, quæ sunt erga Deum à natura instituta officia, ac sine quibus stare nequit naturalis tua religio, ab hac eruenta Atheorum turma et effrænate deturpanda, et insane evertenda, et procaciter delenda; celeritates ergo suscipe, spe erigere, armis præcingere, et cum Christianis militibus pro religione naturali propugnanda te consociare festina. Si hac tamen animi excelsitate ac robore non es adhuc prædita, tuum est saltem omni cura ac diligentia cavere, ne quid hæc tumida Atheorum caterva in Christianam Religionem aut agat, aut dicat, quod naturali exitiosum sit atque funestum.

Sed quæ hæc spectat confutatio mea? Ut, re tota vobis ad vivum resecata, neutiquam ambigatis, A. A., quin, si Philosophiæ amor aliquis vel levissimus erga Religionem naturalem exstitisset, hoc sibi erat cavendum, ne Athei saltem voluntate, qui potentissimi, ac frequentissimi hac tempestate adsunt, religionem naturalem, officia erga Deum adhibenda complectentem, protererent, abjicerent, ac conculcarent.

Adeo equidem hæc præstare noluit Philosophia, quinimmo et vetera jam Atheorum extricata argumenta renovavit, et nova, ad magis, magisque delenda à natura

erga Deum indita officia, suppeditare non abhorruit.

Quæ cum ita sint, licetne mihi dubitare quin Philosophia in impugnanda superna revelatione Atheorum causam susceperit, atque, inuito cum illis fœdere, in universa erga Deum à natura insita officia apertissime conjurarit?

Atque ego hæc, quæ in medio sunt posita, commemoro: sunt autem alia magis occulta et graviora. Æterno præconio religionem naturalem Philosophos ornantes auditione jucunda nuper accepistis? Egregia comoda societati publicæ ob religionis naturalis observantiam impertienda Philosophos in cælum efferre laudibus auscultatis? Sed quo tendit ista fallax ratio disserendi? Etsi religio superna revelatione prædita et in fine, quem sibi propositum habet, et in viis, quibus ad metam contendit, et aliis denique in rebus, quas continet, et tradit, supernaturalis apud Orthodoxos sit; idcirco nobis Ethicorum officio fungentibus in supernaturali Religione naturalis inclusa non agnoscetur?

Naturalis nonne est religio, quæ de Deo ejusque majestate et amplitudine, potentia, sapientia, ac sanctitate magnificas ac celsas nobis ideas suppeditat? Verissimas ac liquidissimas Dei cognitiones præstat revelata religio. Naturalis nonne est religio, quæ de homine rationis com-  
pote, ejusque excellentia ac dignitate, imbecillitate atque miseria veras, et æquas notiones præbet? Homines ex





luto, quo sunt educti, ad Deum ipsum intuendum et contemplandum provectos, nos edocet revelatio. ; Naturalis nonne est religio, quæ insita in animis et consignata legis naturalis principia evolvere sibi suscipit? Nos adeo castos integrosque servare jubet revelatio, ut vitam naturæ legibus consentaneam ducamus. ; Nonne naturalis illa est religio, quæ universa erga Deum officia natura duce exterius prodenda definit, ac figit? Quis cultus Deo re vera dignus sit tribuendus, præscribit revelatio.

Quæ quidem omnia quoniam ejusmodi sunt, ut naturam extollant, non deprimant; perficiant, non evertant; venustatem et salutem naturæ afferant, non ullo modo ipsam deturpent, non fœdent, non commaculent; planum, liquidumque est vobis, A. A., in ipsa superna vi, quam præ se fert Christiana Religio, et naturalem contineri. Ut enim corporis pulchritudo, apta compositione membrorum, atque integra ipsius incolumitate, eo magis movet oculos et delectat, quo omnes partes cum quodam lepore inter se consentire plane ac perfecte deprehenduntur; sic etiam revelatio superna, infirmitatibus, quibus Deus vindex humanam naturam subjecit, opem ferens, et officia, quæ homo natura duce ad integram mentis incolumitatem adipiscendam tenebatur, expendens, eximium decorem, præclaramque convenientiam in dissitas infirmasque naturæ partes afferre, maximo studio contendit: quæ enim subsidia parare,

quæ remedia adhibere, quas illecebras defugere, quæ bona homo consequi debeat, ipsi et numero recenset, et dilucide explanat, et discriminatim evolvit, et perspicue enucleat.

Hanc vero uberrimam commodorum copiam naturæ larga benignaque manu à revelatione impertitam despiciens, ac fastidians Philosophia, ad suum teterrimum inter Ethicam et veram religionem dissidium conficiendum, multam de mysteriis et de religionis cultu difficultatem, ac molestiam sibi creat. ; Sed quam stulte, ac insipienter!

Estne tibi vero verius, Philosophia, ideo Christianam Religionem à sano Ethices ingenio relegandam, quod plurima rationi abstrusiora in se congerit? Actum, conclamatumque est ergo jam de præstanti morum disciplina, tuis laboribus et vigiliis restaurata. ; Quis enim adeo in Ethica peregrinum atque alienum ostendet, qui in hac religione naturali, officiorum erga Deum duce, et magistra, perennem atque inexhaustum mysteriorum fontem non videat? Quis tam opinionum præjudiciis abreptus, qui aut reconditos universæ naturæ sensus tenere audeat, aut quid et quomodo sit Deus, quid aut quomodo agat, quid et quare velit, complecti cogitatione intendat? Quis tam rationis expers, qui in plurimis quorum consideratio Metaphysicorum est, mysterium, atque ideo à vero Philosophiæ cultore ablegan-



dum non incunctanter cognoscat? Talia profecto sunt, et accuratus providentiæ ordo, et mirabilis ex nihilo rerum productio, et Ens infinitum in sua libera voluntate, in suis altissimis decretis, in sua demum agendi ratione. Quæ tamen gravissimæ difficultates, quibus crebro sese implicant Philosophi, si juxta ipsos à religione naturali, officia erga Deum complectente observanda non eximunt: Quo tandem jure à revelata religione colenda eximere valebunt?

Reliquum videbatur esse, ut nonnulla de cultu externo afferrem; sed quid opus est pluribus? Cum hoc à natura insitum sit, ut homines pietatis, venerationis, gratique animi sensus externis quibusdam signis exprimant; cum hoc cultiorum nationum institutis fuerit præscriptum, ut ritus cultui divino congrui, fovendæ religionis in Deum causa, quibus sepositis nulla exstaret societas, statuerentur; cum recenti populorum historia firmum ac ratum sit, viros doctrina impietatis imbutos exstitisse, quos inter recensendos duco Rousseavum (17) et Bernardinum de Saint Pierre, qui cum religionis cæremonias haud turbulento et obliquo animo circumspexissent, sese à lacrymis temperare non potuerunt. Quid enim, ut in pauca contraham (18) (si tamen pauca dicere licebit in re prope immensa atque infinita) quid enim hominum felicitati eo cultu fingi potest utilius, qui vividos ad virtutem strenue sectandam suppeditat igniculos, et potentissimos ad turpe

et noxium defugiendum aculeos abunde subdit; qui religionis historiam, ipsius præstantissimum ortum, egregia facinora, ac beneficia eximia prætexentem sub omnium aspectum ponit; qui totus in castis cæremoniis, amplissimisque ritibus et præstantia Numinis dignis, et humanæ naturæ consentaneis continetur? Has vero Christianæ Religionis cæremonias despectui ab elatis et tumidis Philosophis habitas fuisse, quin tamen ipsi cultum omnem externum Ethicæ principiis consentaneum profligare sibi sumpserint, ego quidem non video.

Sedulam hactenus, A. A. dedi operam, ut vobis breviter, ac dilucide patefacerem omnem hodiernæ, ac humanissimæ, si superis placet, Philosophiæ laborem, et industriam in evertenda non modo revelata, sed quavis alia religione esse consumptam. Quas artes, quos dolos indefesso labore adhibuerit Philosophia, ut superna revelatio ab Ethicis disciplinis foras ablegetur, jam vobis ut opinor, est satis exploratum: unum et exitiosum Deismum à Philosophis, hoc teterrimum dissidium gerentibus, amari atque in deliciis haberi, vobis, ut arbitrator, est perspicue deprehensum. Deistas provinciam Ethicæ his difficillimis temporibus suscipientes, non religionis naturalis patronos, ac vindices, ut vafre dictitant, sed indifferentistas, ut ajunt, ac veros saltem corde Atheos significari, vobis, ut credo, est abunde demonstratum.



Reliquum est ad aliquem jam primæ orationis parti modum adhibendum, ut animus vester, officia erga Deum Ethicæ disciplinis expendens, adeo in Religionis amore sit infixus, ut eam tanquam vinculum humanæ societatis firmissimum, constantem officiorum omnium basim, verum spei, et totius consolationis fontem (19), perennem universorum commodorum scaturiginem, omnibus denique hominibus ducem ad officia Deo obeunda fidelissimam judicetis, et ad munia erga alios et se ipsum (quod nostrum est jam enucleare) implenda, tanquam magistram optimam consulatis.

## P A R S II.

Cogitatione mihi pervolventi, quæ et qualis sit eorum agendi ratio, qui calamitosis his temporibus in rimanda accurata officiorum erga alios, et se ipsos natura à divina revelatione, quantum in ipsis situm est, recedunt; et quantum etiam dedecoris et incommodi hi elati Philosophi, novum tramitem novamque viam tenentes veræ hominis præstantiæ intulerint, animo diu multumque intuenti, præclaram ipsius dignitatem, naturæ licet ejus se acerrimos vindices et assertores jactent injuria maxima afficere atque vehementer deterere videntur; hanc vero culpam in ipsos totos se rerum naturalium disciplinis conferentes, transferre neutiquam

potui, quin maximo dolore confectus in hunc validum et mæstum erumperem clamorem.

Quid tanto studio, tantaque anxietate rerum naturalium principia causasque nosse quæritis? Quid in syderum magnitudinem, corporumque cœlestium situs definiendos toto pectore incumbitis? Quid ad rerum sensibilium naturam proprietatemque rimandam, omnia cogitatione posthabita, ulterius contenditis? (20) Vos in lucem res naturæ occultas proferre intenti, Tullium morum et rationis cultorem auscultate. "Cognitio, » ait, contemplatioque naturæ manca quodammodo atque inchoata foret, si nulla actio rerum consequatur." Mens enim vestra rerum sensibilium cognitione jam illustrata ad voluntatem clarissimis moralis disciplinæ luminibus excolendam, tota natura duce tendit. Quid moram et tarditatem hoc in negotio adhuc attulistis? Hominem tandem hac actione morali unice præditum non vulgari quadam trutina hujus ætatis propria perpendite, sed ipsum ad calculum accuratæ rationis serio et graviter revocate. Qualem de homine cogitationem habetis? Ex divinane mente delibatos habemus animos? Estne nobis ipse ab omni corporea concreione secretus? An nihil in homine præter puram materiam agnoscitis?

Res, ajunt, apud nos adhuc in controversia versatur (21). Alii enim spiritus et animæ vocabulum, priscis Philosophis haud tritum, respuentes, nullum præ-



ter membrorum configurationem discrimen belluam inter et hominem intercedere (22): alii animæ naturam adeo ignotis qualitatibus esse præditam, ut an corruptione et extensione careat prorsus illis sit incompertum (23): alii, non tam claro quam celebrato Lochio morem gerentes, simplicem materiæ atomum posse aliquo modo cogitare penes ipsos tanquam dubium haberi (24): alii demum bruta animantia, quorum vestigiis insistentes homines eorum industriam et solertiam adepti esse sibi videntur, præclara soli homini concessa, ratiocinandi facultate ornata fuisse atque instructa sustinent, firmant, asseverant, pro certo dicunt (25).

Horrore corripior, totoque spiritu intus æstuarè mihi videor, dum istos Philosophos adeo præstantiam hominis proterere animadverto (26), ut liberius scelerum lato sese convolvant. Quid ego ex vobis humanæ naturæ vindicibus ac propugnatoribus audio? Si ista prava conata perficiuntur; si omnia vobis impune cedunt, quo pacto jura hominis sarta tectaque sunt servanda? Quo vos sensuum illecebris deceptos fatalis error violenter urget et impellit?

Jam vos mihi videor videre pravis cupiditatibus habenas laxantes illud rationis templum omni flagitiorum generi Parisiis dicatum super rectæ rationis et religionis ruinas in æternum humani generis dedecus extruere (27). Jam vos gravioris facinoris concilium incun-

tēs, et officia et jura hominis suæ dignitati consentanea in hoc rationis templo fuisse asservata lætissimis modis concinuistis; in hoc vox illa, quæ valida, audaxque erupit nos admonuit jura hominis et retenta, et vindicata, et servata (28).

Servastis quidem postquam Galliarum imperium sapientia, morum suavitate, et religione præstantissimum à vobis, cupiditatum lenociniis, et vitiorum illecebris abreptis, brevi fuit dirutum, ac vastatum. Servastis, postquam Antistites doctrina, sanctitate, ac fortitudine ornatos, quorum alii è suis sedibus deturbati, alii in molestum exilium pulsati, alii bonis, et honoribus privati exsisterunt, omni contumeliarum genere impie fuistis adorti (29). Servastis sane, postquam rex omnium maxime æquissimus, et mitissimus à vobis, jam in altum tyrannidis propectis, ferino more fuit exceptus, ac suis juribus expoliatus (30). Servastis, postquam reginam et principes, et regio sanguine ortos, virtutibus et sapientia conspicuos, in judicium detractos morte mulcandos, ex lege sententiam tulistis (31). Servastis, postquam homines, virginesque Deo sacras probris, injuriis indignissime derisas, ac notis omnibus infamiæ compunctas, vel patriam relinquere, vel in ergastulum detrudi, vel iniquum mortis fatum subire, injusta vi coegistis. Servastis, postquam multi de patria benemeriti cives; quorum alios ab albo senatorio erasistis (32), alios fortunæ



bonis affluentes sine lege atque iudicio proscriptis, alios raptatos, mutilatos alios, ac vulneratos contudistis, tandem ut capite damnarentur inhumana feritate perfecistis. Servastis, postquam, horrenda contra Rempublicam conjuratione facta, omnem animi vestri contentionem adhibuistis, ut nihil præter licentiam, crudelitatem, strages, ruinas, vastitatem, horroremque in potentissima Galliarum ditione superesset. Servastis, postquam regionem vestram florentissimam de suo maximo honore dejectam, lugendi modos tantæ miseriæ congruos haud invenientem, in maxima civili dissensione constitutam, ut daret se in mutuam stragem atroci animo impulistis. Servastis, postquam voluptatum vinculis irretiti eam criminibus concedere impunitatem duxistis, ut in religionis veræque Ethices ruinis teterrimum rationis templum, horrescente natura, erigere, optimum existimaretis (33).

Quis vestrum A. A. non ad indignationem, et ad magnum acerbumque dolorem commoveatur, cum hoc infandum, ac funestissimum flagitium in templo rationis ab hominibus, ipsius restitutæ gloriam sibi vindicantibus, perpetratum videat? Quis vestrum..... Labebar longius, nisi timor maximam vobis inferendi mæstitiam et luctum me retineret. Cogitationem jam ab hoc exitioso templo avertamus: ingrediendum nobis est, duce ratione et quasi magistra religione, in pulcherrimum

et augustissimum æternæ rationis templum; lustranda oculis omnia illius adyta, quæ nihil præter sanctitatem, perfectionem, et honestatem includunt; contemplanda animo ipsius nitidissima amplitudo, quæ nihil præter summum et pulcherrimum et immutabilem ordinem complectitur. Ex hac regia sublimique Numinis sede illa accuratissima veri, honesti, optimique regula non obliqua, non curva, non inflexa, omnimodæ mutationis ex- pers, et ad recte faciendum semper impellens, et à de- licto semper avocans, est delapsa. Ex hoc uberrimo ac perenni sapientiæ fonte omnes cognitionis nostræ rivuli, qui ad justitiam, et rectitudinem moralem attinent, profluxerunt. Ex hac altissima summi ordinis scaturigine in omne hominum genus leges jura et officia manarunt. Emanarunt, inquam, cum nos munia juraque omnia et eorum, qui summo potiuntur imperio, et eorum, qui rei sacræ præsent, et eorum, qui consulari toga, sive militiæ fulgore decorantur, et eorum, qui vel multis affluunt divitiis, vel maxima laborant inopia, tanquam altissimis defixa radicibus in hac sacra æde libenter pers- picere cogamur, cum etiam nos omnia hominis naturæ consentanea jura tali præsidio ac custodiæ relicta, tali tantaque divina vi in perpetuum tuenda maxima delec- tatione capti intueri teneamur.

Brevi expediam, ut rem totam solidioris Philoso- phiæ doctrina dilucidam faciam. ; Quid enim vobis cum





vastissima cœli spatia, astrorum ordines, sideraque universa emicantia suspicientibus, tum diei noctisque vicissitudines, mensium annorumque succesionem, animalium ornatum plantarumque elegantiam intuentibus liquidius apparebit, quam summum et pulcherrimum ordinem, omnis boni ideam complectentem, exstare, semperque existisse? Tantum ornatum mundi, tantam vim et magnitudinem marium atque terrarum, tantam varietatem, et pulchritudinem rerum cœlestium firmis ordinis legibus esse obnoxias, neque hominum ingenio excogitatis, neque populorum institutione sancitis, est vobis ratum atque compertum (34). Ac ne illud quidem revocari in dubium potest religionis naturam, et societatis jura, et morum scita, officia universa erga Deum, erga alios, et seipsum complectentia, aliis præstantioribus æterni ordinis legibus, ab humana institutione prorsus discretis regi, atque moderari. Hæc enim omnia ab opinione arbitrioque hominum pendentia existimare, non in rerum natura à Numine sapienter condita, pulcherrimumque ordinem exprimente, ponere prorsus dementis est (35).

Et re quidem vera, si nemini, præter hominem et rationem ipsi innatam, animo quasi à Deo insculptam, et in ipsa facultatem hanc singularem, et ordinem constituendi et inductum tanquam rationi consonum probandi concessam impartitamque non sine animi exultatio-

ne novimus, nullatenus est diffitendum, quin nos adeo ad ordinis custodiam sensus, affectus, actusque nostros moderantem obstringi debeamus, ut ordo rebus, personis, et officiis, circa quæ versamur, à natura insitus et integer semper sit tuendus, inviolatusque in perpetuum servandus. Ab omnibus vero hoc officium minime expleantibus Deum naturalis ordinis perpetuum custodem, severissimumque vindicem (nisi sibi ipsi contrarius sit) pœnas repetere, æquissimum est (36).

Creditisne quempiam legionum ductorem, cujus sit in castris milites continere; eos in velitationibus exercere, et ad reportandam victoriam rite in aciem producere; arces obsidione premere; in sauciorum ægrorumque curam incumbere; vigiliis inimici agminis circuire; universæ rei frumentariæ præesse; in hibernis milites collocare; querelas commilitonum audire; observare denique castrensia omnia, ordinem à se constitutum turbari passurum? Laudibusne efferretis architecti solertiam, qui domum magnam firmis compagibus connexam, sublimes porticu fultam, altissimis turribus instructam, pretiosis gemmis ornatam, supremo principe dignam, et summum fere perfectionis fastigium attingentem vastitati, excidio, ruinæ magnæ propter ordinis neglectum subjiceret? Si ergo duce sua quisque naturæ ordinis custodiam servare, et ab illo neutiquam recedere tenetur, in dubium revocare nequimus, quin Deus gra-



viter, severissimeque hominibus vetet, ne ordinem ab eximia sapientia sua constitutum superbe pessudent, vel audeant ab illo recedere.

Nondum satis hæc liquida et perspicua apparebunt; nisi quædam ex nitidioris Philosophiæ principiis excerpta adjiciam, queis adamussim cognitis, statim deprehendatur, in quo prælaudatus ordo, à sapientissimo rerum conditore insitus consistat.

Nec multis controversiis res erit vobis implicata, si in totum hominem, qualis ipse natura comparatus est acrem aciem intenditis. Quis vestrum clariori, quo præditus est, rationis lumine se, suamque naturam accurate intuens, et ad Deum rerum omnium Conditorem, et ad alios ejusdem naturæ consortes, et ad se ipsum, dignitatis propriæ ducem atque cultorem, referri non comperiet?

In primis enim, si hominis natura ad Deum referatur, nonne tanto argumentorum pondere, tantaque sententiarum gravitate nuper à nobis jam expensa deprehendere potestis, quo obsequio, pietate, ac religione colendum sit sapientissimum potentissimumque Numen, quod nos mira atque incredibili facultatum varietate exornatos ex nihilo condidit, et commoda, quibus utimur, et ut cum Cicerone loquar (37), lucem, qua fruimur, spiritum, quem ducimus, nobis dedit, atque largitus est? Neque fieri potest, ut qui semetip-

sum serio ac diligenter considerat, in Deum intimo quodam grati animi sensu, summaque veneratione non feratur.

Si ad se ipsum oculos mentis reflectat homo, atque in totius naturæ præstantiam animum defigat, se cælestis atque divinæ propemodum originis esse, et cunctis creatis rebus longe nobiliorem, et clarissimo cognitionis lumine, et libero voluntatis arbitrio donatum; et ad amplissimos, æternosque provehendum honores, liquido comperiet. Nihil à Supremo Conditoris uberius, nihil nobilius, nihilque præstantius sibi datum esse deprehendet, quam illa ex ipsa divina mente profecta lux quæ cunctis hominibus ad ea, quæ natura ipsa bona, vel honesta censentur, quæque divinæ sanctitati respondent, cognoscenda affulsit.

Hac omnium cordibus impressa, ac insculpta lege, plane intelliget quivis se ad sui amorem, naturamque propriam recte ac juste diligendam impelli, suasque vires suumque studium conferre teneri, ut à sublimi divinoque fine sibi à natura constituto neutiquam deflectat.

Quod si postremo humana mens ad cæteros sui similes, quibuscum non fortuito, sed sapientissimo divinæ voluntatis consilio degere debet, referatur, illorum natura, quam cum propria comparat, bene rimata; clarissime intelliget omnes, qui ab uno parente originem



ducentes ipsius pulcherrimam imaginem, divinæque claritatis fulgorem hauserunt, sincero charitatis amore complectendos, nullum in cæteros paribus donis instructos naturale jus peperisse, nullaque auctoritate potiri, ut illis injuriam aliquam inferat. Nec illum fugiet homines (verbis utar Tullii) hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint; ipsos multarum rerum indigos in communionem aliorum ad opem, auxilium, multaque commoda adipiscenda, natura ipsa præeunte, ferri (38); societatem demum ad quam homo natura sua ordinatur, constitutam tum artibus, tum opera, tum facultatibus inter homines devincere, ut remedia ægritudinibus, et solatium ærumnis, et allevamentum laboribus suppeditarentur (39).

Mihi ex hoc triplici ordine cunctorum officiorum genus divina ope supernaque auctoritate præfultum exurgere sedulo animadvertenti, ipsa natura ingenito veluti pondere ita dirigi visa est, ut non libere, sed necessario, non in aliquibus solum, sed in omnibus, non aliquando sed semper ac ubique, nisi eam pravæ cupiditates detorqueant, ultro ac sponte feratur (40).

Huncne ne validum, fortem, et per omnia consonantem naturæ clamorem vos, in expendendis ipsius legibus hac tempestate intenti, neutiquam auscultatis? Anne veram naturæ disciplinam vos, quos novitatis amor adeo abripuit, ut omnia, quæ ad honestam vitam atti-

nent, natura tantum, posthabita divinæ revelationis ope, metienda judicetis, non estis accepturi? Cur vos demum, vos naturæ, si superis placet, vindices atque cultores in hanc naturæ institutionem, quæ ex pulcherrimo altissimoque ordine profluxit, rimandam et oculis, et mente, et animo toto vestro non intenditis? Sed quo me pacto cum hominibus omnia ad suum arbitrium referentibus geram? Facerene inducias cum his teterrimum acerbumque bellum sanæ Ethicæ, et revelationi inferentibus mihi propono? Quo tandem istud modo? Quæ est enim vel minima dilatio temporis?

Res apud nos, A. A., perspicua sit, quod ideo hujus exitiosi infandique dissidii auctores ad verum proxime accedere respuant, quia superna revelatio hanc naturæ disciplinam confirmans, maximo apud illos in odio atque invidia sit; sed tantum abest, ut ab ipso fidei lumine in inquirenda et expendenda morum doctrina vel leviter dissidere liceat, quin maximas potius et immortales grates Deo agere et habere nos deceat, quod moralia præcepta, ex hoc triplici naturæ ordine hausta, cum pravis hominum cupiditatibus essent obnoxia, ipse naturæ Auctor restituerit tum lapideis tabulis, quibus ea continebantur, à Moyse propositis, tum præstanti ac uberrima doctrina, quam divinis hominum Magister, jurisque naturalis interpret et purius, et nitidius, et accuratius explanandam sibi sumpsit.